Baroni à Dhona Aransii Præfecto.

Facio ut voti compotem, Vir Illustris, quatenus quidem in præsentia Barlæo libere, vel licere potuit distractissimo novella professione, evasit per Jurisconsultorum bivia, qui in alternatiquis sufficere ajunt alterum adimpleri, et esse debitoris electionem omni verò excusatione dignus est, hâc tempestate, quâ crescentium Athenarum in magnâ Urbe fundamenta jacturus non facilem provintiam, cùm collegâ Vossio suscepit. Mitto inquit ijs in literis quibus postridiè ad meas respondet quod petis epigramma ad D: Christophorum a Dhona. Jam enim non vacat plura scribere cum adversus Stoicos, non valdè ineptos philosophos, mihi disputandum sit. Posthâc versuum ero parcus Scriptor, cum me jam dialectica et Physica ab amænioribus studijs in spinas suas, et dumeta revocent. Vides argumenti ubertate deterritum aggredi fugisse, quo ne se extricaret, fore per molem occupationum sperare nequiit. Quis scit an adjiciet hodiernis crastina summus Carmina Musarum decor. minas enim quas addit de silendi consilio vel necessitate, adeo non timere didici, ut ne posse quidem, si velit silentium sibi imponere, pridem exprobraverim, nempè desiturum versus scribere, cum denasci cœperit, si quidem vel hoc fieri possit, ut prosâ non carmine expiret. Vale Vir Illustrissime, me, et quam a me operam ullâ in re tuâ videris expectare porrò, tuo jure impera. Hagæ Com: 13. Febr. CIↃIↃC XXXII.

Barlæo.

Amplissime Barlæe.

Qua soleo directius hæres, nuper a te munera ex fidei commisso accepi. Nec valdè miror dexteram an sinistram donator porrigat. sed castigare sic videris censuræ meæ libertatem, et ad me non scribere, ne sic rescribam. ὁ δὲ ἥλιος μὴ ἐπιδυέτω τῷ παροργισμῷ σου. Nescivisti fortasse adeo me tibi familiarem esse. ego verò sic amicos soleo. et utcumque me sententiam si valdè instes, mutare persuadeas, obtemperaturum potius, quam ut videar à Barlæo dissentire, non desinam tacitus opinari, sicut apertè nuper, et cum viris